

phon, quod inter ludendum, quum adolescens procerioris staturæ longiorem tunicam detraxisset adolescenti breviori, eique tunicam breviorem tradidisset, judicaverit, permutationem esse justam; quæritur an rectè? N.
Quia in permutationibus observanda est justitia commutativa, non distributiva. Nec enim justitia distributiva pugnare debet contra commutativam; & certum est, leges propriis opinionibus esse anterendas. Ad justitiam distributivam tanquam species referuntur I. observantia quæ debetur superioribus, cui opponitur in excessu nimius cultus, in defectu irreverentia & ὀφθαλμῳδουλείᾳ.

2. Gratitudo, quæ debetur benefactonibus, sive ea animi sit, sive facti, id est, sive aliis beneficiis, sive animi verborumque honore compensemus. Sunt autem gratitudinis quasi quatuor actus, beneficii accepti agnitus, ejusdem memoria, contestatio ingenua, & si in viribus est, ipso facto compensatio. In defectu opponitur Ingratitudo, vitiorum metropolis. Vulgo enim dicitur: *Ingratum dixeris, omnia dixeris.* 3. *Mιθαπόδοσις*, id est, persolutio debitæ mercedis pro laboribus. 4. Persolutio justæ pœnæ pro admisso delicto &c. Dichotomia hæc sit ex Timlero lib. 3. Ethic. gen. cap. 10. Justitia distributiva est vel tribuens, vel retribuens. Tribuens est vel remunerans, vel puniens. Remunerans, ut gratitudo & μιθαπόδοσις, puniens in distributione pœnarum est. Distributivam justitiam mandat Christus, Matth. 22. v. 21. *Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei.* Contra hanc justitiam graviter peccant qui docent invocationem sanctorum, &c.

5. Justitia commutativa est, quæ servat æquilitatem in tribuendo eo quod cuique debetur, non habitâ ratione dignitatis aut meriti personæ.

S C H O L. Græcè συναλλακτική, item συναλλαγματική. Hæc justitia servat τὴν ἴσον, id est, æquilitatem secundum proportionem arithmeticam, ideoque in commerciis &

*Regūs ita
Gratitudinis.*